Quelle: http://manuscripta.at/?ID=30277
Copyright: Heiligenkreuz, Zisterzienserstift

apud eum uerbis intueniente audiuit. Isto inquit fili pie clementiam tuam exoro, ut hanc erga eum sententiam dampnationis mitiges, quia licet peccauerit, tamen laudibus horas meas dicendo studio cottidiano uacauit. Lege etenim tua iustissima sanxisti, nullum omnino bonum quamlibet paruum irremuneratum preire. Hic autem licet peccator, tamen tanti boni quo mihi seruiuit, nec dum aliquid mercedis recepit. Viuat ergo gratia mea, qui pro propria nequitia addicitur morti. Statim ergo iudex benigno annuens uultu, fiat inquit dulcissima mater tibi ut placet. Tuis enim petitionibus annuens, promitto et salutem perpetuam largiturum, si uel modo eius correctionem conspexero. His dictis, mater salutis ad me conuersa ait: Vade et amplius noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat. Postquam uero senatus ille celestis solutus est, et ego terribili uisione sublata mihi sum redditus, preteritam uitam meam celeri conuersione mutaui, et residuum uite mee tempus, huic quam in nobis uides conuersationi dicaui. Porro tamen socii mei, qui mecum dampnationis sententie sunt addicti, ut ipse postmodum comperi, deterioribus studiis sunt inuoluti, et usitarius lucris pernaciter inhiantes, ad perditionis discrimina miserabili cursu rapiuntur. Non ergo mirum si laudibus huius piissime domine cum omni sollicitudine curam inpendo, per quam me perpetue morti subtractum et eterne uite restitutum esse cognosco. Sex autem seruicii eius quod apud nos inuenisti executores sunt, ex quibus contra generale sancte ecclesie ritum nostram nos diuine seruitutis officia disposuisse conquestus est, et ordinem consuetudinis nostre cepit uelut inuitus sequi. Cui eadem domina nostra clementer apparens, taliter eum allocuta est: Si meo inquit seruicio iuxta morem fratrum tuorum tibi non placeat intendere, noli saltem mihi deuotos inde reuocare. Hac autem idem frater correctione compunctus, iam eidem seruitio studiosius aliis intendit, et per hoc eiusdem domine gratiam consequi modis omnibus contendit.

Hec audiens memoratus clericus, domino Christo in mirabili pietate beate genitricis eius perpetue uirginis Marie gratias egit, et ad laudes eius frequentandas deuotius se deinceps accendit.

forte Vsitatis vel Vsurarijs

Item de clerico.

Huc uenite et audite omnes serui domini. Volo namque narrare quod a quodam didici, ut Maria dei sponsa deinceps ab omnibus sit amplius amanda et laudanda. Presul quidam erat qui quendam habebat clericum, quem amabat ualde, et fouebat sicut natum proprium, quia et ipse sicut suo patri multum erat subditus, immo Christo seruebat ut debebat funditus, et sancte Marie matri sue diebus ac noctibus decantabat horas suas dulciter cum fletibus. Sed antiquus inimicus qui uocatur satanas, hoc ut uidit inuidit, et mox parat insidias quibus illum posset secum ducere ad tartara, ut cum eo toleraret eterna supplicia. Hic ergo in eius corde mittit ut sponsam accipiat, ex qua more solito liberos acquirat. Sic ergo diabolica suasione deceptus, adamare cepit quandam uirginem quam desponsatam habebat quidam uir diues et satis nobilis. Verum quia ille e contra erat ignobilis, quesiuit artem per quam illi fieret amabilis, quia metuebat si eam aperte requireret, ne pater puelle eum turpiter contempneret. Quadam uero die cum arderet in amore uirginis, fieretque propter illam exanimis, quesiuit locum secretum et cepit legere in libello quem tunc portabat secum absconditum, in quo parum erat scriptum arte nigromantica, per quam fecit ante se adesse demonia, orans eos supplicando ut ei succurrerent, et ut puellam eum sine mora habere facerent. Cui tale dant responsum spiritus diaboli, quod libenter perpetrarent quicquid uellet fieri, si eum cui adhereret dei filium et Mariam matrem eius relinqueret, seruiciumque suum. Ad hec ille: Quamuis inquit crudelissime urorer, tamen hec non possum, neque uolo nullomodo facere, sed quecumque preter ista iubetis facio, et me seruum di adoptiuum deinceps habebitis. His auditis inimici uirum responderunt, quod libenter adimplerent suum desiderium, si quod ore promittebat non differret facere, et iuraret eis hoc quod nollet eos de hoc fallere, quia multi christiani sic eos deceperant, quorum uota ipsi sepe impleuerant. Tunc illos facit firmos ut ante promiserat, tantum ut illam haberet per quam sic arserat. Mox ergo inimici egressi inuaserunt puellam, et cor eius accenderunt in amorem clerici, in tantum ut clamaret cunctis audientibus, aut daretur statim a suis parentibus, sicut mos esset, cum honore illi tali clerico, aut ipsa abiret sua sponte in eius amplexus. Hec audientes parentes eius nimium contristantur, quia uolebant eam dare nobili sponso. Sed eius minas timentes ne fieret meretrix, dant uiro quem petebat per manum pontificis. Qui inuitus desponsauit eam illi more solito, quia diligebat eum corde perfecto. Post hec autem sicut ordo matrimonii postulat, requirit ubi missas audiat. Quas dum audiret, etiam horas sancte Marie psallere cepit, ut solebat de-